

vera & ὁσια Deus in una & eadem ad numerum essentia Divinitatis qua Pater Deus est.

XXXVIII,

Tertio personæ in hominibus differunt 1. Tempore, ut Joannes junior Petro 2. Voluntate, ut Paulus contradicit Petro Gala. 2, 11. 3. Potentia, sic Paulus plus cæteris laboravit. 4. Operatione, ut Petrus in circumcisione, Paulus in gentibus Gal. 2, 8. &c. Sed in personis Trinitatis est coæternitas, una voluntas, una potentia, una operatio.

XXXIX.

Ex his fundamentis sumpta est vulgaris regula: Personæ Divinitatis non essentialiter differunt, ut in creaturis, ubi unaquævis suum proprium esse habet: nec tantum est distinctio rationis ut voluit Sabellius: sed realiter distinguuntur, modo tamen nobis incomprehensibili & incognito.

XL.

Quia de discrimine Personarum anxie disquiritur, uno verbo aliquid de illo addendum & discrimen reale probandum duco. Ita itaque argumentor. Ubicunque plura discernuntur, ut persona alia & persona alia, ibi est reale discrimen. Atqui plures illæ relationes quæ in una simplicissima essentia divina numerantur, discriminantur ut persona alia & persona alia. E.

XLI.

Major manifesta. Minoris probationem ex sacris petimus. Quia enim in istis, Patris, Filij & Sp. S. distincta fit mentio, sequitur, personam patris distinctam esse & quidem realiter à Persona Filij & Spiritus sancti.

XLII.

Huc referendæ sunt Θεοφωνεῖαι in Baptismo & transfiguratione Christi: ibi enim vox Patris sonat de cœlis, Filius in Jordane baptizatur, & in monte Thabor transfiguratur: Spiritus S. in specie columbæ descendit, & in nube lucida sese manifestat. utiq; ergo alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus S.

XLIII.

Id ipsum etiam comprobatur incarnatio Filij, & visibilis effusio Sp. S. Non enim Pater, nec Sp. S. sed Filius secunda persona adsumpsit humanam naturam. Incarnatio Ergo verbi non